



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 3. Patriarchæ Orientis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX. cimve leucis a Bagdato distantem ædificaverat, naturæ debitum solvit anno Hegiræ ducentesimo vigesimo septimo, decima octava die mensis tertii, id est, sexta Januarii, anno Salutis octingentesimo quadragesimo secundo, ætatis suæ quadragesimo octavo, postquam annos octo, menses octo, & dies octo regnasset. Rudis erat, & literas formare nesciebat. Filius suus Aaron *Aluatec Abujasar* successit.

§. III.

Patriarchæ Orientis.

Elmac. eod. c. 9. Chr. orient. pag. 109. Sup. lib. XLVII. §. 41. Jacobus Patriarcha Jacobita Alexandriae anno quinto Regni *Mutazem*, Hegiræ ducentesimo vigesimo secundo, Jesu Christi octingentesimo trigesimo septimo obiit, eique successit Simeon, qui non plus uno anno Sedem occupavit. Anno deinde sequente ducentesimo vigesimo secundo, Jesu Christi octingentesimo trigesimo octavo Josephus in Monasterio S. Macarii Patriarcha eligitur, qui Sedem annis septendecim tenuit. Josepho sedente contigit, ut Metropolita Habecha seu Æthiopiæ, Jacob nomine, e Cathedra sua expelleretur. Cum vero exinde agris arentibus fames & pestis illud Regnum affligerent, Rex per legatos a Josepho Patriarcha veniam facti petiit, rogavitque, ut Metropolitam remitteret, qui

qui rediens inter maximæ lætitiæ signa ^{Sæculum IX.}
 exceptus est. Inde dispicimus Abyssinos ^{A. C. 842.}
 Christianos Jacobitarum de Secta fuisse.
 Josephus Patriarcha Episcopos a se or-
 dinatos in Pentapolim & Africam ad Oc-
 cidentem misit. Sedem Patriarchæ Mel-
 chitæ Alexandrini tenebat Sophronius
 Christophoro defuncto, anno quarto *Mu-
 tazem*, Jesu Christi octingentesimo tri-
 gesimo sexto ordinatus, vir doctus & Phi-
 losophiæ amans. Sedit annis trede-
 cim.

Job Patriarcha Melchita Antioche-
 nus etiamnum inter vivos agebat, Dio-
 nysio Sedem Patriarchalem Jacobitarum
 in eadem civitate tenente. Jerosolymæ
 Joannes Patriarcha Melchita anno septi-
 mo *Mutazem*, Salutis reparatæ octingen-
 tesimo trigesimo nono, ordinatus Sedem
 non ultra annos tres obtinuit. Cum
 enim cives Jerosolymitani seditione com-
 mota ei varia & gravia objicerent, po-
 puli furorem pertimescens Sedi suæ da-
 tis litteris renunciavit. Hæc sunt, quæ
 de rebus Ecclesiarum Orientalium sci-
 mus.

§. IV.

*Theophili Obitus. Michael Impe-
 rator.*

Constantinopoli Theophilus Imperator *Post. Theo.*
 amissæ civitatis Amoriensis dede- *l. III. n. 34.*
Hist. Eccles. Tom. XI. A a core,